



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XXI. De officio Acolythorum in Missa solemni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

TITVLVS XXI.

De officio Acolythorum in Missa solemn.

1. **P**AULò ante Missam solemnem duo Acolythi siue Ceroferarij ac edunt in Ecclesiam, vbi breuiter orant, lauant manus, in iungunt superpellicea sua, adiuuant ministros sacros dum capiunt paramenta sua. Tum accendunt cereos altaris suo tempore, & eos etiam qui sunt in Candelabris quæ deportaturi sunt, deinde omnibus paratis, & posito incenso in thuribulo à Celebrante, nudo capite cum candelabris suis accensis procedunt è Sacristia ad Altare, facta prius cruci, & Celebranti debita reuerentia, sequentes thuriferarium.

2. Cùm peruenierint ante infimum gradum altaris, meminerint sufficientem Celebranti cum suis locum dare, ipsique aduenienti reuerentiam facere, atque statim cum alijs genuf. stant super infimum gradum, mox cùm ijs surgunt, & candelabra cum cereis accensis deferunt ad credentiam, & in eiusdem anterioribus cornibus reponunt.

3. Depositis candelabris manent genuflexi hinc inde à lateribus Credentia, collaterales candelabris suis, non verò ante ipsam credentiam, & manibus iunctis quasi conuersi ad Altare.

4. Cùm Celebrans facta confessione ascendit ad Altare, surgunt & stant prout erant genuflexi, & tum Celebrans thurificando altare inclinatur aut genuflectit, Acolythi & circumstantes simul etiam genuflectunt, atque si non adsit Capellanus assistens, librum ac puluinaria hinc inde suo ordine submouent, & extra altare tenent donec Celebrans planitiem altaris incensarit.

5. Quando

*Gauantius
part. 2. tit. 2.
num 3. lit. b.
& seq.*

5. Quando Celebrans in cornu Epistolæ cum Diacono & Subdiacono sedet, Acolythi regulariter stant apud Credentiam.

6. Deficiente Cæremoniario vnus Acolythorum, comitabitur Subdiaconum à sinistris, tum pergat ad cantandam Epistolam, qua absoluta, præuia ante medium altaris cum Subdiacono genuflexione, comitabitur ipsum ad Celebrantem ibique recipit librum Epistolarum à Subdiacono, quem Credentiæ imponit.

7. Circa finem vltimi versus *Gradualis*, *Allouia*, *Tractus*, aut *Sequentiæ* resumunt candelabra de credentia, & cum debitis reuerentijs in medium accedentes æqualiter ibidem inter se distantes, expectant donec tempus sit cantandi Euangelium.

8. Cum Diaconus genuflectit petiturus benedictionem à Celebrante Acolythi aliique omnes simul genuflectunt, mox surgentes, præcedente Thuriferario accedunt ad locum Euangelij: vbi collocant se hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum, seu pulpiti in quo liber ponitur, vertentes cum illo renes versus partem dextram quæ pro aquilone figuratur, facies verò versus Diaconum; & cum alij sub Euangelio se signant, inclinant, aut genuflectunt, ipsi cum Subdiacono perstant velut immobiles.

9. Finito Euangelio, statim eodem ordine vt antè redeunt ad Credentiam, genuflectentes altari, & sese Celebranti stanti in cornu Epistolæ, inclinantes, ibique depositis candelabris, stant ibidem: Ad versum verò & *incarnatus est* cum Celebrante genuflectunt & cum eodem Celebrante iterum surgunt, & cum à Choro dictus versus & *incarnatus est* cantatur rursus genuflectunt licet Celebrans forte cum Diacono se tantum inclinaret.

Q 3

10. Dum

Carem. Epif.
l. b. 1. cap. 11.
& l. 2. c. 8.

10. Dum Celebrans cum Diacono & Subdiacono sessurus est, Acolythi illos iuuant aprando casulam, dalmaticam, tunicellam, bireta illis tradendo & eandem conferunt operam tum surgunt.

11. Dum inchoatur offertorium, secundus Acolythus adiuuat ad credentiam Subdiaconi in expandendo velo oblongo humeris eius, ita ut à dextro latere longius pendeat: tum ipse primus Acolythus accipit peluiculam cum ampullis vini & aquæ, easque directè sequendo Subdiaconum defert ad altare ambabus manibus, vel si calix à principio in altari collocatus fuerit, solus incedens easdemque ampullas successiue tradit Subdiacono prius ampullam vini, deinde illam aquæ sine osculis, easque etiam ab eodem Subdiacono recepit suo tempore.

12. Impositis vino & aqua in Calicem, recedit cum iisdem ampullis ad Credentiam.

13. Postea dum Celebrans thurificat Altare, librum & puluinaria tempore & loco, ut ante Introitum, submoueant, & cum Diaconus incensat Celebrantem vnus Acolythorum accipit de Credentia peluiculam manu sinistra & dextra ampullam aquæ per manubrium super dicta peluicula, eaque defert ad Altare, comite alio Acolytha à sinistris suis portante ambabus manibus manutergium plicatum, ac statim post incensationem Celebrantis ille primus ministrat aquam ad ablutionem digitorum fundens eam super indices & pollices illius, supposita peluicula, alter verò subministrat mappulam plicatam quam ambabus manibus super manus Celebrantis expandit: deinde illis repositis super Credentia reuertuntur ad loca sua, ibique stantes à Thurifera-rio incensantur, inclinantes se ei aliquantulum antè & post.

*triantus
part. 2 tit. 7.
num. 9.*

14. Ad finem Præfationis ex Sacristia afferent duo fanalia seu intortitia ceræ albæ accensa, & factis debitis reuerentijs, genuflectunt hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis patenam, Cærem. Epif. lib. 2. cap. 8. vel si magis commodum, ad latera Altaris. Dum eleuatur Hostia, eleuant etiam faces seu intortitia vsque ad depositionem Calicis inclusiue; calice eorundem appposito infra pectus.

15. Post eleuationem Calicis, surgunt, & facta iterum genuflexione, recedunt cum Thuriferario in Sacristiam; ibique funalia extinguunt nisi facienda sit communio, quo casu, prout etiam in diebus ieiuniorum, & in Missis pro Defunctis cum illis accensis genuflexi manebunt vsque ad peractam Communionem.

16. Extinctis funalibus, statim ad Credentiam redeunt cum genuflexione Altari, ibique stant prout Chorus, nec cum Celebrante genuflectunt quando ipse genuflectit.

17. In defectu Cæremoniarij vnus Acolythorum in fine orationis Dominicæ accedit cum debita genuflexione ad cornu Epistolæ, vbi ambabus manibus recipit à Subdiacono velum quod circa humeros eius fuit quod facta iterum genuflexione, reportat ad credentiam super quam illud plicatum collocat, atque etiam suo tempore vnus comitabitur Subdiaconum deferentem pacem ad Chorum, ferens & ministrans illi instrumentum pacis, si laicis pax danda sit: & cum eodem ad Altare reuersus facta Altari genuflexione ab illo accipiet pacem, & dabit alijs Acolythi circa altare, non tamen ijs qui genuflexi funalia fortè gestant. Cærem. Epif. lib. 1. c. 24.

18. Dum Celebrans dicit *Agnus Dei*, percutient pectus profundè inclinati, idem faciunt ad *Domine non sum dignus*, nisi funalia gestant, non enim tunc percutient pectus,

19. Si faces deferant & velint communionem accipere, alios sibi substituunt Acolythos, qui eas tenent donec communicauerint, & tum fit communio manent genuflexi, facie sibi inuicem versa à lateribus Altaris ne Celebranti & ministris suis sint impedimento.

20. Ad communionem Laicorum primus ex illis defert vas cum vino pro eorum purificatione cum manutergio, modò sint alij intorticia ferentes.

21. Si non fit communio, dum Celebrans sumit Sanguinem primus Acolythorum defert ampullas vini & aquæ, cum pellicula ad Altare, quas Subdiacono successiuè porrigit sine osculis, easque receptas ad credentiam reportat sine genuflexione. Alter verò Acolythus defert interim paruum velum de credentia ad cornu Euangelij genuflectens in medio, deinde redeunt ad loca sua cum debita reuerentia, ibique stant vel genuflectunt prout chorus.

22. Ad Benedictionem in fine Missæ genuflectunt suo loco signantes se manu sinistra apposita infra pectus. Ad euangelium stant, se signant, & cum Celebrante genuflectunt versus tamen Altare.

23. Post finitum Euangelium, & non prius, resumptis de credentia candelabris, accedunt per planum ad cornu, hinc inde infimi gradus, ubi cum alijs Ministris genuflectentes cum Celebrante & alijs recedunt in Sacristiam, salutantes crucem quæ est in Sacristia, & denique Celebrantem. Tum deponunt candelabra & adiuvant ministros se exuentes. Deinde redeunt ad Credentiam, indeque reportant ea quæ prius ad Credentiam fuerant præparata. Denique facta oratione in pace recedunt.